Zakrzewski Stanislai: Thesaurus regius seu Pecunia spiritualis.

THESAVRVS REGIVS,

SEV

PECVNIA SPIRITVALIS.

Pecuniæ obediũt omnia.

Eccl: 10.

Authore P. STANISLAO [redacted], *Canonico Regul. Monast: Ceruenen. ordinario Prædicat. ad Ædes S. Geor. Warſ.*

Cum licentia Superiorum.



CRACOVIÆ,
Ex Officina Typographica Mattiæ Andreouieñ.
Anno Domini, 1618.

SERENISSIMO
SIGISMVNDO III.
REGI POLONIAE, SVECIAE. &c &c.

Religiosissimo Catholicæ fidei cultori, Piissimo Diuini cultus Promotori, Fortissimo Christianę doctrinę Propugnatori, Fælicissimo subditorũ Gubernatori, vel potius alteri in probitate Dauidi, In regendo populo Salomoni, In debellandis hostibus Samsoni:

Vnà

CVM SERENISSIMA CONSORTE

CONSTANTIA
REGINA,

Matre Christianissima, pupillorum & egenorum protectrice clemẽtissima, omnium virtutum candore celeberrima, omniumq́; bonorum operum ornamẽtis clarissima. Et quæ altera Saba in prudẽtia. Iudith in sanctimonia. Æster in sua gloria iure dici posit.

Author vtramque fælicitatem.

Epiſtola Dedicatoria.

ERIT quiſpiam fortaſſis Sereniſsime REX, qui me velit erroris arguere, quod videlicet Te Dominum clementiſsimũ. Dauidi ſancto Regi, & aliis viris, quos ſacra celebrat Scriptura, comparare non erubuerim, alterum Te Domine mi REX in ſanctitate Dauidem, in ſapientia Salomonem, in fortitudine Samſonem appellãs. Sed omnis qui cauſam inſtituti mei, & cur ita ſcripſerim intellexerit, rectè me feciſſe, meamq́; hanc Præfationem longè ab omni adulationis pellita iucunditate abeſſe, ſuo iudicio affirmabit. Nec mirum. Quòd enim Te Dominum deuotiſsimum, & vt ita dicam virum iuxta cor Domini, alterum Dauidem appellauerim, non peccaui, in hoc enim ſacram ſecutus ſum Scripturam. Quæ Reges ſanctos & in via Domini ambulantes cõmemorans, eos Dauidi, cui in Thronum Regium ſuccedebant, comparat. Sufficit vnum ad illuſtrandã rem noſtram exemplum. 3. Reg. 15. *Et fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini: ſicut Dauid Pater eius.* Cùm verò Regum, quorum vita cæteris ſcandalo erat mentionem faciat, eos à Rege Dauide longè abeſſe manifeſtè declarat. 3. *Reg:* 14. vbi Dominus dicit ad Ieroboam. *Et*

non fuisti sicut seruus meus David, qui custodiuit mandata mea. Igitur in promptu est à sacris literis Reges qui non abierunt in consilio impiorum, & in via peccatorum non steterũt, & in cathedra pestilentiæ non sederunt Dauidi comparari, qui verò peruersè agebant, à Dauide separari. Quoniam verò ô Domine mi Rex, viam mandatorum Dei curris, virtutesque Dauidis imitaris, quomodo alter Dauid omnium ore non appellaberis? Laudatur Dauid ex mansuetudine. Psalm. 131. *Memento Domine David & omnis mansuetudinis eius.* Quis hanc virtutẽ à Te Rex clementiss. alienam esse affirmabit? Quem subditorum etiam sceleratissimum non benigno recepisti vultu? Quorum precibus clausæ sunt benignissimæ aures tuæ? Pauper & humilis nonne cum suis supplicationibus benignè accipitur? Verè Clemens, verè mansuetus, verè benignus, verè misericors SIGISMVNDVS Rex Poloniæ, omnium ore proclamatur, &c. Iterum laudatur Dauid, eò quod assiduus fuerit in laudibus Deo decantandis, *Media* inquit *nocte surgebam ad confitendum nomini tuo, & septies in die laudem dixi tibi.* Hac quoque prærogatiua quis te Dominum deuotissimum gaudere non fatebitur? Nullus dies est quo sacrosanctum Missæ officium cum magna omnium ædificatione attentissimè non audias. Diebus verò festis præsentia Regia laudes diuinas quodam modo illustriores reddis, cùm sacro solenniter can-

tari solito adsis Concionique audiendæ (quam Patres Societatis IESV, viri Religiosissimi, & doctissimi, in vita contemplatiua & actiua excellentissimi, cum laude eximia habere solent) adeò attentas præbeas aures, vt omninò somno succubuisse aliquando nunquam visus sis. O deuotionem Apostolicam, ô fælicissimum Regem, cunctis sicut lucernam in domo Dei lucentem, Quis iam tardus & piger ad seruiendum Deo erit, cum Regem suũ promptissimum & feruentissimum in Dei seruitio videat? Certè & hoc admiror vehementer Te DominumRegem clementissimum, Horas Canonicas quotidiè solere recitare. Annon magna in Rege virtus insignisq; deuotio! Sacerdotem simul & Regem agere? Magna etiam gloria inde Dauidi tribuitur, quod iniquos odio ꝑsequeretur, probos diligeret. *Iniquos*, inquit, *odio habui.* & Psalm. 100. *Non adhæsit mihi cor prauũ, declinantem à me malignum non cognoscebam. Detrahentem proximo suo hunc persequebar Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum, ambulans in via immaculata hic mihi ministrabit. &c.* Idem Te solere facere Regem Deo addictissimum scimus. Plurimùm enim delectaris odore sanctæ conuersationis tuorũ subditorum, hinc quoscunque videre licet in aula Regia, ad exemplum piissimi Regis, deuotissimos & piissimos esse cognoscimus. Verè qui tibi Piissime

Rex

Rex miniſtrant, ambulant in via immaculata : Aulam tuam Regiam, viris piis, deuotis, doctis, manſuetis, exornatam oculis noſtris ſpectamus. Honoris gratia liceat quorundam mentionē facere; Illuſtriſſ. Dñus Vicecancellarius feliciter modernus DD. Andreas Lipski, Epiſcopus Luceoriēſis, an non omni ex parte celebris? Verè vir magna virtutum varietate circumdatus, & in veſtitu bonæ conuerſationis deaurato fulgens adhæret dextræ Regiæ. In eo pietas erga Deum maxima, Sapientia in omnibus ſcientiis excellentiſsima. Erga diuinum cultum promptitudo celerrima. Omniumque virtutum vero Epiſcopo conuenientium copia ſufficientiſsima. Sed cum in eius laudibus immoror ſuccurrit in memoriam Anteceſſor Illuſtriſſ. qui hoc etiam nobile munus magna cum laude & gloria nominis ſui multis annis peregit, Illuſtriſſ. inquam & Reuerendiſſ. DD. Henricus Firley, Epiſcopus Plocen. Dominus & Familiæ proſapia Nobiliſsimus, virtute excellentiſsimus, Doctrina celeberrimus, cunctis gratiſsimus, vbique locorum clariſsimus, in multiplicanda Dei gloria feruentiſsimus. Omniumq; virtutum candore iucundiſsimus, vtinam in multos feliciter viuat annos. O admirabiles Regis noſtri Sigiſmundi Familiares. Annon celebris apud omnes ob ſuam humanitatē, pietatem, & vitæ integritatem, ſummamq; in ſuo officio diligentiam Adm. R. D. Ioānes Cielecki

cki, Referendarius Regni? Annon insignis grauitate, sanctitate, deuotione, fidelitate, omniq́ue probitate, Reuerendus D. Iacobus Zadzik, Secretarius Regni. Dauidem te ergo, Serenissime Rex appellare minimè metuo, qui Dauidem in omnibus imitaris, &c. Salomon quoque sapientiam suam cum aliis in rebus, tum in decretis ex ore suo prolatis, vt patet in Meretricum lite definienda demonstrasse perhibetur, dicit enim sacra scriptura: 3. Reg. 3. *Audiuit itaque omnis Israel Iudicium quod iudicasset Rex, & timuerunt Regem videntes Dei sapientiam esse in eo ad faciendum iudicium.* Tu quoque Serenissime Rex sapiens es, sicut Angelus Dei in tuis æquissimis iudiciis. Multos Iurisperitissimos audiui, stupentes & admirantes Tuam in iudiciis sapientiã: *Verè Dominus Deus dedit tibi seruo suo fideli cor docile, vt populum tuum iudicare possis, & discernere inter bonum & malum. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti & posuit te super thronum Regni, eo quod dilexerit te Dominus, & constituit Te Regẽ, vt faceres iudicium & iustitiam.* Tu es Serenissime Rex, Iudex absque manibus & oculis clausis, vt olim Thebani iudices pingebant suos, quem nec munera, nec affectus à vero deducunt iudicio. Bithynis etiam è cõspectu solis tribunal erat, quod illum tanquam sacrosanctum causæ iudicandæ præesse dicerent. At tuum iustissime Rex Tribunal in conspectu Christi qui

dicitur ſol iuſtitiæ expoſitum cernimus, nam dum iudicas, hunc ſolum præ oculis habes. O verè alterum Salomonẽ, imò plus quam Salomon Tu es. Ille enim eheu lapſus in idolatriam, benè cæpta turpi fine fædauit. Tu ſemel acceptam Catholicam fidem forti animo conſeruas, & ab omni Hæreticorum impetu mirifica ſapientia defendis. Viuas fælix ſapientiſsime Salomon. Samſon etiam leui pugna multos proſternebat hoſtes. Mirum eſt Rex clementiſsime, Te Dominum quietiſsimum ſimul & bellicoſiſsimũ eſſe? Quis Regum Poloniæ, Metropoli Moſchorum ſigna bellica intulit? Sigiſmundus Tertius Rex fortiſsimus. Quis barbaram illam gentem, olim Lituanis intolerabilem vinci docuit? Sigiſmundus Tertius, vir pugnator acerrimus. Quis vrbes munitiſsimas, illa in prouincia vi expugnauit, Sigiſmundus vir bellicoſiſsimus, vtinam in multos tam fortis Rex viuat annos. Igitur Rex Sigiſmunde, iure merito ab omnibus, maximè tamen à probis & bonis hominibus appellaris virtutibus celeberrimus. Vitæ ſanctimonia clariſsimus, bonis operibus florentiſsimus, in Eccleſia deuotiſsimus, in palacio modeſtiſsimus, in iudiciis æquiſsimus, in oratione frequentiſsimus, in conuiuiis rariſsimus, in omni virtuoſa actione celerimus. Domi prudentiſsimus, in bello fortiſsimus, vbiq; fama & gloria maximus, Eccleſiarum fundator liberaliſsimus. Collegiorum

adin-

ad instituendam iuuentutem (maximè tamen Almæ Academiæ Cracouien. omnium scientiarum semper fertilissimæ Matris) patronus & promotor acerrimus. Cui

Multos viuendi dies,
Fælicemq; regnandi modum,
Omnes precamur.

Nullum igitur me cōmisisse errorem (quod Te S. R. sanctis viris comparauerim) fateantur necesse est. Imò parum me dixisse assero, cum legam in sacra Scriptura, Reges non hominibus, sed Angelis comparari. 2. Reg. 14. *Sicut enim Angelus Domini, sic est Dominus meus Rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur*, dicit mulier ad Regē Dauidem, similiter Ester Regi Assuero respondit dicens: *Vidi te Domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ, valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* Verum ego tanto Regi, & tam celeberrimo Monarchæ. Tibi inquam Sereniss. Rex exiguum offero munus suppliciter petens, vt grato sumatur animo, maiora breue post tempus. Maiestati T. Regiæ allaturus, sed cum Tecū vtique piissimo Domino loquor. Oratio mea magno cum impetu in immensum laudum pelagus Serenissimæ Consortis Tuæ erumpit. Hæc est mater Christianissima. Hæc est omnium virtutum lucidissimum speculum. Hæc est pietas exemplar. Hæc est

deuotionis pulcherrima imago. Hæc est Iudith *in omnibus famosissima, quoniam timet Dominum valde, nec est qui loquatur de illa malum.* Hæc est altera Esther *quæ placuit Regi altissimo, inuenitque gratiam & misericordiam corã eo, & posuit diadema Regni in capite eius, fecitque* eam regnare, in hoc throno Polonorum. Hæc est altera Saba *quæ aromata multa nimis, & gemmas pretiosas ad te Regem sapientissimum* veniens in regnum nostrum attulit. Nam in excellentisimo Regiæ dignitatis gradu collocata, profũdisimam secum attulit humilitatem, ardentisimam in Deum pietatem, vitæ integritatem, vno verbo, omnem virtutem. Viuat ergo fælix Patrona egenorum, protectrix pupillorum, Domina Afflictorum. Viuat ornamentũ domus Austriacæ, decus & lilium Regni nostri, lumen probitatis. Cui etiam eundem spiritualem pecuniam do & offero, humilis in Christo seruus. Ex nostra Canonica residentia 30 Sptẽbris. Anno Domini 1618.

Wenoch.

Pr. Stanisl. [redacted]

S. Chrisostomus Thom: 5. Homil. 5. de Incompr. Dei natura.

T*Hesaurus perpetuus est Oratio, & inexhaustæ diuitiæ, deniq; fons & radix bonorum omnium, & Regia ipsa facultate superior. Sæpiùs enim euenit, vt cum Rex ipse ægrotet, adsint medici, & clientes, & Proceres, & neque medicorum ars, neque medicamentorum copia, neque amicorum præsentia, neque familiarium administratio, neque apparatus magnificentia, neq; pecuniarum facultas, neque aliud quidquam rerum humanarum, poterit infestantem morbum reddere leuiorem. At quis familiaritate apud Deum valens accesserit, & corpus tantum tetigerit, & sincere orauerit pro eo, languorem omnem expellat, & quod non diuitiæ non medicinales scientiæ, non reliqua omnia efficere valuerunt. vnius pauperis potuerit Oratio.*

AVE MARIA.

Pecuniæ obediunt omnia. Eccl. 10.

PEcuniam eo gaudere Priuilegio testimonio Sacrarum literarum, cognoscimus, vt illi omnia obediant. Auditores in Christo dilecti. Mirum certè est pecuniæ omnia subiecta esse. Ergo & Reges fortissimos? Imperatores bellicosissimos? Homines doctissimos, pecuniæ viribus subiectos esse affirmabimus? Ergo ne verùm est copias militum validissimas? Arces natura arteque munitissimas? Ciuitates diuitiis, & propugnaculorum copia amplissimas: pecuniæ posse succumbere? Ergo ne nihil in orbe terrarum esse dixerimus, quod pecunię vis suæ ditioni non subiiciat? Ita se rem habere omni dubietatis scrupulo postposito credendum est, Auditores, quippe pecuniæ obediunt omnia. Pecunia est Regina & Domina Regum, Ciuitatum, Arciumque fortissimarum expugnatrix, bellorum fortissimus neruus, nihilque tam firmum & stabile in mundo videre licet, quod suo pondere non deprimat pecunia. O admirandas eius vires. Præclare doctissimus Iouius lib. 18. *Nemo virtute vel fortuna maximus Imperator res præclaras vnquam bello gesserit, si eum optimis artibus abundè instructum, pecuniæ propria bellorum instrumenta defecerint.* Ferunt Philippũ Macedoniæ Regem solitum dicere. *Nullam vrbem tam esse munitam, quin si in eam asinus auro onustus ingredi poßit, expugnari queat.* Sed & Poëta quidam egregiè admodùm vim pecuniæ expressit, sequenti carminum cantu.

Numina quid colimus? procul ô cum Pallade Iuno
Mens procul & nitida, casta Diana coma.

Sole

Sola habites omni diuinâ pecūnia templo
Et cadat ante tuos victima larga focos.
Aurum quisquis habet, superos mercatur & astra,
Captiuosque tenet sub ditione Deos.
Aurum bella gerit, mucronibus imperat aurum,
Aurum ventosis vela dat æquoribus
Euertitq; vrbes, & mænia diruit aurum
Delet & extructis oppida celsa rogis.

Quoniam verò Oratio ad Deum fusa tantæ etiam sit virtutis, vt omnia possit, omnia vincat, omnia prosternat, omnia efficiat, rectè eam esse pecuniam spiritualem dixerimus siquidem sicut pecuniæ aureæ, & argenteæ obediunt omnia, eodem modo Orationi cuncta quæ cœlorum regiones & vniuersi terrarum orbes continent, esse subiecta nouimus. Attendite. Pecunia illata in arcem munitissimam, facili negotio in manus inimicorum tradit eam, vt ex præmissis in promptu est. Simili ratione oratio ad Deum emissa ingreditur arcem splendidissimã, cœlum videlicet Empyreũ, & efficit vt quidquid homo velit in illa arce assequi, absque mora obtineat. Eccl. 33. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*, (En quomodo altissimam ingreditur arcem) *& donec propinquet consolabitur: & non discedet donec altissimus aspiciat.* Annon verum, obtinere orationem in altissima cælorum arce, quidquid voluerit? Exercitus quoque pecunia aliquando superati sunt, sed & oratione omnium inimicorum nostrorũ virtus facile dissipatur. Annon fortissimus hostis teterrimus dæmon? Iob 41 *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei quia factus est, vt nullum timeret. Reputabit enim quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs. Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ, quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam.* Vultis scire quibus armis tam potentissimus vincatur hostis? Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi in oratione & ieiunio.* Reges quoque fortissimi multoties

pecunia

pecunia placati discesserunt è regnis alienis, in quæ incursionem fecerant, depositaque omni crudelitate, armatos iam ad pugnam milites in propria reduxere. Oratione quoq; quam nos pecuniam spiritualem vocamus, Rex Regum, & Dominus Dominantium, Deus omnipotens maximus, toties furore in populum accensum, iamque ad illum debellandum progressus, placatus est. Oratio inquam vindices Dei omnipotentis manus deuincit, ne vindictæ suæ gladium contra nos vibret, vt Moysen suis precibus fecisse legimus, quibus Deus victus dicebat ei, *Dimitte me vt irascatur furor meus.* Verum breuis Moysis Oratio. *Cur Domine irascatur furor tuus?* diuinam iram cohibuit. Sed quid dicis ô Domine Dimitte me. Nonnè tu Domine fortissimus es, & quis resistere tibi potest, quippe. Psalm. 23. *Tu Dominus fortis & potens, tu Dominus potens in prælio.* De te ô Domine dicitur Psalm. 29. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Cur ergò qui omnia potes, victum te à Moyse profiteris? Quid dicis ô Domine Dimitte me, Tu Spiritu oris tui omnes creaturas interficere potes, & sola vox tua omnes prosternit. Psalm. 28. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia*, quare igitur clamas deuictum te orationē serui tui? Nunquid fortior te oratio eius dicenda est? Breuibus respondeo. Tantam orationis esse vim atque potentiam, vt districtum Dei ensem continuò in vaginam mittat, omnemque eius furorem reprimat, potentiam quodammodo debilitat, vel potiùs omnipotentiæ diuinæ effectus impediat, eiusque iustitiæ gladium hebescere faciat. Scriptura sacra quoque idem docet, Deum oratione superari. Matth 7. *Petite & dabitur vobis, omnis enim qui petit accipit, & pulsanti aperietur. Si ergo vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester qui in cælis est, dabit Spiritum bonum petentibus se.* Petite, inquit. Etsi Pater meus voluerit in vos Spiritū furoris emittere si petieritis eius misericordiam, facile impetrabitis, vinceturque à vobis Deus & dabit vobis

Exod. 32.

Spiritum bonum, id eſt gratiam ſanctam, & dona cæleſtia. Adhæc (placet enim in hac pecuniæ potentia explicanda paululum immorari) Pecunia dicitur eſſe neruus belli, nam illa habita miles facile ad caſtra conuocatur, facile in caſtris retinetur, & ad obtinendam ex hoſte victoriam vehementer inflammatur. Sublata pecunia rarus eſt, qui ſe ſacramento militiæ obſtringere velit, rarior qui in aciem prodeat, rariſſimus qui fortiter in hoſtem irruat. Tam multùm in exercitu valet pecunia. Idem dicendum eſt de Oratione, quæ in bellis (etiam ad literam & non myſticè loquendo) mirabiles producit effectus. In quo enim exercitu Oratio feruens floruerit actum de hoſte, ſtatque præ foribus palma. Iam vicit qui munitus Oratione in aciem prodiit. Iam ille exercitus victor euaſit, qui hac pecunia munitus in caſtris militat. Iam triumphat qui Deo laudem in Oratione ante pugnam cantat. Exemplis noſtra doctrina magis magisque illuſtrata patebit. Exod. 17. *Dixit Moyſes ad Ioſue: Elige viros, & egreſſus pugna contra Amalec. Fecit Ioſue, vt locutus erat Moyſes, & pugnauit contra Amalec. Moyſes autem & Aaron, & Hur, aſcenderunt ſuper verticem collis. Cumq́ leuaret Moyſes manus vincebat Iſrael, ſi autem paululum remiſiſſet ſuperabat Amalec. Manus autem Moyſi erant graues. Aaron autem & Hur ſuſtentabat manus eius ex vtraq́ parte.* Vidiſtis bellum. Ioſue inquam cum Amalec pugnantem. Annon igitur Oratio neruus belli. Pugnauit Ioſue & Moyſes in monte orauit, plus tamen orando quã Ioſue pugnando effecit. nam Moyſe remittente manus vincebatur Ioſue, eleuante verò vincebat Ioſue. Igitur Oratio ſeu pecunia ſpiritualis, eſt neruus belli fortiſſimus. nam Moyſe ad Dominum orationem faciente; *Fugauit Ioſue Amalec, & populum eius in ore gladij.* 4. Reg. cap. 6. Rex Syriæ ad capiendum Eliſæum: *Miſit equos & currus & robur exercitus, qui cum veniſſent nocte circumdederunt ciuitatem. Porrò orauit Eliſæus ad Dominum, dicens: Percute obſecro gentem hac cæcitate, per-*

cuſſitque

eußitque eos Dominus, ne viderent iuxtà verbum Elisæi. Vnus Propheta oratione numerosum vicit exercitum. O stupendum miraculum. Verè Oratio neruus belli. Placet recentiora quoque adducere exempla, ex quibus hanc spiritualem pecuniã plurimùm in exercitu valere fæliciter intelligere poteritis. In vrbe Constantinopolitana, in anxia sollicitudine cũ ciues essent, & dubitarent cuinã parti victoria arrisura esset. Angeli Dei quibusdam in Bythinia propter negotium certum Constantinopolim petentibus apparuere, eosque ibi annunciare iussere, vt illi precationi admodum incumberent, & animum fortem obtinerent, ac Deo crederent victoriam Romanorum fore, illud insuper addentes, Iudices ipsos inde & nuncios victoriæ, qui Romanis præsentem maximè opem ferant, à Deo missos esse. Quæ res vbi ad aures hominum peruenit, supplicationibus & ieiunio dediti ingentes barbarorum copias superarunt. Aliud exemplum apud Baron. Tom 11. Anno D. 1065. posteritati relictum legimus. Cum Vsorũ natio ad sexcenta millia virorum bellicosorum erupisset, & Christiano orbi omnimodam cladem minaretur. Imperator Constantinus Ducas, vir pius sed imbellis, cuius Imperium etiam tunc in Oriente à Turcis vexabatur, credebat haud spei aliquid supéresse, vt exundantibus Barbaris resistere posset. Tentasse eos tamen Imperator, legatione missa, muneribus, quidem author testatur sed frustra. Qui cùm vrgeretur ab vrbe exire aduersus hostes, non amplius quam centum quinquaginta milites, qui eum sequerentur inuentos esse. Itaque sic rebus desperatis, fertur Imperatorindixisse ieiunium, & sibi & populo frequentes supplicationes adhibuisse, ipse pedes cum lacrymis incedens & contrito corde. Qua die conspecta est ab Vsis in tabernaculis commorantibus militum multitudo in acie dimicare, & cum summa festinatione crebra contra ipsos tela iacere, ita vt ex ipsis nemo illæsus remanserit, quin vulnus acceperit. Ita pugnante

Niceph. l. 29. c. 21.

gnante Deo. Posthæc autem ad eundem Imperatorem peruenisse nuntium refert, qui affirmaret gentem illam peste & fame consumptam, reliquias cum Ducibus transmisso Istro ad propria remeasse. His acceptis Imperator Deo & Dei Genitrici sacrificio cum gratiarum actione peracto, recta ad vrbem se contulit, quam reperit admirationis & stuporis plenam, votaque Deo accepta, pro salute persoluentem, verum omnes quod factum erat diuinum miraculum censentes. Imperatoris erga Deum pietati adscribebant, quod non virtute & viribus, aut potentia Imperatoris, sed religione ipse Deus flexus esset. O stupendam Orationis potentiam, verè oratio dicenda, belli neruus. Pecunia etiam vincitur liberum arbitrium. Intelligite. Decreuit aliquis in animo, inimicum suum è medio tollere, veniunt legati ab illo inimico, suppliciter rogantes, ne manus suas sanguine proximi contaminare velit, sed potiùs ad exemplum Christi Domini omnium iniuriarum obliuiscatur. Ille furore accensus, nihil se corũ cõsilia salutaria curare ostendit, sed voluntate conceptum facinus effectu se terminaturum clamitat. Discedunt illi mærore & confusione affecti, & accepta pecunia iterum veniunt, petentes vt sumpta pro iniuria sibi illata satisfactione ex animo, inimico suo remittat culpam, voluntatemq; in cædem eius armatam in affectum amicabilem mutet. Quid? Munera placant Deos hominesque, vbi primũ viderit nummos, aureos, immemor subitò efficitur iniuriarum, ex inimico agnoscit amicum, & quem ferire decreuerat venientem amplectitur. Non dissimili ratione. Oratio voluntatem hominis vincit, toties quippe liberum arbitrium importunæ superant preces. Dicam maiora. Etiam ipsius Christi Domini
Marc. 15. voluntas oratione inclinatur. Adest nobis mirificum huius doctrinæ exemplum in præclara illa muliere Chananea, quæ Christo Domino cum Apostolis eunti occurrit clamans: *Miserere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Et non respondit

illi

illi verbum. Deprecātibus pro ea Apoſtolis reſpondit Chriſtus Dominus : *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Vbi oſtendit voluntatem ſuam non eſſe voluntati Apoſtolorum annuentem, qui volebant & petebant, auxilium præbendum illi fæminæ. Clamat iterum: *Domine adiuua me.* Reſpondit Dominus voluntatem ſuam, eius precibus contrariam, dicens : *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Ait fæmina: *Etiam Dñe, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Domini ſui.* Motus tam humili & aſſidua Oratione, inquit: *O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.* Annon manifeſtum eſt inclinari voluntatem hominis, imò & ipſius Dei orationis potentia? Ergò ſicut pecuniæ omnia, *Plin. l.32. cap. 1.* ſic & orationi obediunt. Paruus admodum, inquit, piſciculus, echineis ſeu Remora dictus, ruant venti licet, & ſæuiant procellæ. imperat furori, vireſq; tantas compeſcit, & cogit ſtare nauigia, quomodo non vincula vlla, non anchoræ pōdere irreuocabili iactæ. Infrænat impetus & domat mundi rabiem nullo ſuo labore, non retinendo, aut alio modo quā adhærendo. Hæc tantilla eſt ſatis contra tot impetus, vt vetet ire nauigia, ſed armatæ claſsis imponunt ſibi turrium propugnacula, vt in mari quoque pugnetur velut è muris. Sed vanitas humana, cum roſtra illa ære, ferroq; ad ictus armata ſemipedalis inhibere poſsit, ac tenere deuincta, piſciculus. Fertur Actiaco bello, tenuiſſe Prætoriam nauim Antonij properantis circumire, & exhortari ſuos donec tranſiret in aliam, ideoque Ceſariana claſsis impetu maiore protinus venit. Tenuit & noſtra memoria Caij Principis ab Auſtura Antium remigantis, Nec longa fuit illius moræ admiratio, ſtatim cauſa intellecta, cum è tota claſſe quinque remis ſola non proficiſceretur, exilientibus protinus qui id quærerent, circa nauim inuenerunt adhærentem gubernaculo. Oſtenderuntq; Caio indignanti hoc fuiſſe, quod ſe reuocaret, quadringentorumq; remigum obſequio contra ſe intercederet.

Præclare per hunc pisciculum vis orationis sanctæ exprimitur, quæ omnibus tentationum procellis in hominem irruentibus, stare eũ in loco gratiæ facit. Irruant venti superbiæ, procellæ carnis, fluctus iracundiæ Si cordi tuo adhæret humilis Oratio, tu sicut nauis à Remora retẽta, firmus & stabilis in via Dñi stabis. Verumenimuerò fusiùs tractare volumus orationem in omni tentatione esse fortissimum propugnaculum Quod Christus ipse discipulis suis ingruente tenta-

Matt. 26. tione præscripsit dicens: *Orate, ne intretis in tentationem.* Et

Ephes: 6. Apostolus Paulus dum ait: *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli.* exponens autem illam armaturam subiicit. *Per omnem Orationem, & obsecrationes. Orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus Sanctis.* Imo Christus hoc remedium intra ipsam Orationem Dominicã inclusit, cum iussit in ea nos orare: *Et ne nos inducas in tentationem Sed libera nos à malo.* Idemq; omnes Sancti in suis tentationibus semper

Dan: 10. vsurparunt. Sic B. Zuzanna in angustiis constituta, ad solum Deum per orationem refugium habuit. 2. *Cor*: 12. Sic Apostolus ter Deum rogauit, cum stimulos carnis pateretur. Sic Augustinus clamauit: *O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris. Caritas Deus meus accende me, Continentiam iubes. Da quod iubes, & iube quod vis.* Sic Beata Iustina, teste Nazianzeno, cum eius pudicitiam attentaret Cyprianus Magus, deploratis omnibus aliis remediis ad Deum, & B M. V. cõfugit, & magum cum dæmone vicit. Sic S. Thomas Aquinas, cum procax scortum in eius cubiculum immissum esset statim auxilium Christi & B. M. V. implorauit orans in hunc modum: *Ne sinas quæso Domine Iesu, & tu sanctissima mater & virgo Maria, vt tam immani me scelere obstringam.* Et illico titione ex igne rapto, illud fugauit, ostioque concluso, à duobus Angelis lumbos sibi constringi sensit, ad perpetuam continentiam seruandam. Rectè S. Chrysostomus lib: 3.

de Prouidentia Dei. *Quemadmodum pueruli perterrefacti, statim confugiunt in sinum matris, sic nos cum aliqua tentatione pulsamur per preces confugiamus ad Deum.* S. Antonius teste B. Athanasio dæmonum tentationibus, opponebat quasi telum illum versiculum Psalmographi: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo, & ego despiciam inimicos meos.* Et illum *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius.* Quis igitur ignorat in omnibus tentationibus periculis, angustiis, oratione, omne de cælo posse obtinere subsidium. O fortitudinem Orationis Diuinā! Pecunia omnia bona acquiruntur, agri pinguissimi horti fertilissimi, fontes largissimi pecunia comparantur, vasa aurea & argentea, vestes pretiosæ, domus amplissimæ, diuitiæ sufficientissimæ coëmuntur pecunia. Paucis rem absoluo, Quidquid in mundo inter bona numeratur illud totum donat pecunia. Efficit & hoc Oratio, pecunia spiritualis, per hanc dona sancti Spiritus, per hanc diuitiæ cælestes, diuinæ benedictiones, & quidquid in cælo & in terra, bonū esse cēsetur per orationem acquirit homo ipso Christo Domino dicente; *Quidquid in nomine meo petieritis, dabitur vobis.* Pinxerunt sic Deum antiqui, in vna quidem manu fascem spicarum, in alia piscem habentem, est quidem panis alimentum nostrum è terra, piscis vero ex mari. Significare igitur voluerunt omne alimentum nostrum, & victum à Dei manu requirendum esse, in manu enim eius & non in alia hæc sunt. Quod vt palam faceret Christus in illo conuiuio, quòd multis millibus fecit in deserto, panem & pisces præbuit quasi diceret. A me & non ab alio sunt ista requirenda. O vtinam hæc saperent & intelligerent, qui sollicitudine multa erga plurima turbantur, & ianuas mundi adeunt, vt ab eo hæc obtineant, Deum verò nunquam requirere curant, & multo magis hi, qui per fas & nefas victum quærunt, quasi aliter hæc obtinere non possint, stulti & tardi corde ad credēdum, qui quamuis Christicolæ

Psalm. 17.

sti colæ sint, Gentilium discipulis inferiores in hoc sunt, illi siquidem in manu Dei victum maris & terræ collocarunt, vt prius eius manus quam terræ & maris per orationem adeas, tu verò terras, marisque oras penetras, vt hæc acquiras, Dei & prouidentiæ eius immemor. Scis Orationem Dominicam quid est in ea: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?* nisi te admonere ab eo panem exigendum. Apoc. 10. Vidit Apostolus Ioannes Angelum mirabilem, qui posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram. Communis sacrorum Doctorum expositio est, hunc Angelum esse Christum, magni consilii Angelum, positio autem pedis, adire possesionem aliquam designat, pedem igitur Christus in mare alterum, alterum verò in terram misit, vt se Dominum terræ marisq; declararet. Quid igitur in terra vel mari quæris, & non à terræ Domino ac maris per feruentem Orationem exigis, Exemplis volumus ostendere Deum omnia necessaria hominibus oratione fundere. Primum est in vita S. Dominici apud Surium lib. 3. cap. 4. in hæc verba: Cum Romæ apud S, Sixtum centum Fratres cum S. Dominico sub Euangelica degerent paupertate, die quodam missi sunt ab eo duo fratres, Ioannes Calaber & Albertus Romanus, vt eleemosynam peterent. Illis à mane vsque ad tertiam frustra laborantibus & iam reuertentibus occurrit quædam mulier, deditque eis vnum panem dicens: Nolim vos prorsus vacuos redire. Eo accepto vir quidam pauper rogauit obnixè, vt darent ipsi eleemosynam. Cùm se illi excusarent illeque instare, dederunt ei panem. Redeuntibus factus obuius Dominicus, per reuelationem actorum gnarus, iucundo dixit vultu. Iam nihil habetis filii? Narrant ei vt euenerant omnia. Aitq; vir S. ad eos: Angelus Domini is fuit, & Dominus pascet seruos suos. Eamus oratum. Egressus inde ab Ecclesia iussit fratres ad prandium adesse. Post quorũ hæsitationem, quod deesse scirent alimoniam, tandem omnibus

ſe. Pſal. 3. *Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me, voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.* Ad extremum pecunia ſoluitur debitum? ita & oratione. Et ſanè ſi quis concedat opera bona laborioſa ſatisfactoria eſſe pro peccatis, nunquam negabit, quin ſit Oratio inter illa bona numeranda, cum ſatis conſtet orationem non tantùm bonam, ſed etiam laborioſam eſſe, atq; pænalem. Quæ cauſa eſt vt ferè ſemper ieiunio, & elemoſynæ adiungatur, cum de ſatisfactionibus agitur. Addo. Quoties Paterfamilias in publicum tempore nundinarum ad emendas res neceſſarias egreditur ſumpta in manus pecunia, nonne facile in foro optata inueniet? ſic qui mente in cælum vbi omne bonum & omne donū perfectum eſt cum oratione ingreditur, nunquam vacuis manibus reuertitur. Præclare doctiſſimus Belarminus. Oratio enim ſiue impetret quod poſtulat, ſiue non impetret, ſemper tamen eſt meritoria maioris gratiæ, & gloriæ, quando ab homine iuſto & ſicut oportet funditur. Cuius rei teſtimonium habemus in Euangelio. Matth. 6. *Cum oratis non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam. Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito, & Pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi* Quo loco Dominus oſtendit orationem eſſe opus bonum, cui ſi benè fiat, debetur merces à Deo, ex quo fit vt etiam ſit meritoria, cum merito iuſtè proprieque reſpondeat, hactenus Belarminus lib: 1. de bonis oper. cap: 3. Verumetiam & hoc eſſe nemo inficias ibit. Pecuniam in corporalibus ad impetrandum aliquid plurimum prodeſſe. Adſcribitur & hoc priuilegium Orationi eodem Belarmino declarante. Inquit ille: Oratione impetrari remiſſionem peccatorum, docemur in oratione Dominica, non enim iuberet nos Dominus dicere: *Et dimitte nobis*

 te nobis

te nobis debita nostra. Si remissio debitorum per orationem impetrari non posset? Quod idem testatur parabola publicani & Pharisæi. Luc: 18. *Publicanus enim orans & dicens: Deus propitius esto mihi peccatori, descendit in domum suam iustificatus.* Nec solùm remissionem peccatorum, sed multa alia beneficia, imò etiam penè omnia quæ nobis necessaria vel vtilia sunt, per orationem à Domino impetramus. Et sicut in rebus corporalibus homo nascitur nudus, & egens rebus omnibus, sed habet manus, quæ satis appositæ, organum organorũ dici meruerunt. Quod per eas reliqua omnia instrumenta confici, & cibus, vestis, domus, arma, & quidquid humanæ vitæ necessarium est, facile parari queat: Sic etiam in vita spirituali, nihil omnino potest homo sine ope diuina, non solùm operari, sed nec loqui aut cogitare: Sed habet organum organorum, id est orationem, qua si bene vtatur, omnia sine dubio obtinebit. Matth: 7. *Petite & accipietis. Omnis enim qui petit accipit, qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* Eccl. 38. *Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Deum & curabit te.* Omnia ergo obediunt orationi, & quod efficit in corporalibus pecunia, hoc in spiritualibus feruens oratio. Et hoc non abs re, si quis cum pecunia falsa prodit in forum, etsi summopere laboret, curratq; effuso cursu ad diuersos mercatores, nihil prorsus emere poterit, sic oratio ex ore peccatoris prolata, quæ est sicut æs sonans, nullo nitore sanctitatis, nec auro charitatis desuper insignita, nihil apud Deum obtinere potest, & hoc ipsum aliquot rationibus declarare volo, idque vbi effecero finem dicendi faciam. Primo orationem peccatoris nullius esse valoris sacra docet scriptura. Psal. 33. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Psal. 65. *Si aspexi iniquitatem in corde meo, non exaudiet Dominus.* Isaiæ 1. *Cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim vestræ plenæ sunt sanguine.* Ioan. 9. *Scimus*

quoniam

quoniam peccatores non exaudit. Prou. 1. *Inuocabunt me & non exaudiam eos quod exosam habuerunt disciplinam.* Thren. 3. *Nos inique egimus, & ad iracundiam prouocabimus, idcirco tu inexorabilis es.* Notãdum secundum Theologorũ doctrinam. Peccatores solere orare, vt impetrent sibi donum aliquod spirituale vel corporale, & tunc vel in peccato voluntariè permanent, vel incipiunt pænitentiam agere, si voluntariè permanēt in peccato ordinariè non exaudiuntur. iustum enim est, qui Deũ præcipientē & docentē nõ audit, vt eum Deus orantē & deprecantē nõ exaudiat, & hoc in nostra cõcione probamus, nam talium peccatorum omnia bona opera, sunt sicut æs sonans. &c. Si vero pænitentiam agunt, exaudiuntur sicut Niniuitæ. Secunda ratio quæ ostendit orationem peccatoris in peccato mortali existentis esse pecuniam falsam & nullius vtilitatis talis est. Quod Deum offendit, illud Deus persequitur & non ponit in conspectu suo, tale est mendacium, siquidem *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, ergo &c. At peccatores dum orant mentiuntur, ergo non exaudiuntur. Si enim Peccator dixerit Pater noster. dicet ei Deus. Mendax es & veritas non est in te. *Si ego Pater tuus vbi honor meus.* Dicis te esse filium meum, tu vero es seruus peccati & mancipium Diaboli, quare igitur mentiris? &c. omnium igitur peccatorum Oratio fit in peccatum. Tertia ratio. Qui vult vt oratio eius fiat grata Deo, & impetret optata. debet fieri cum spe & fiducia. Mat. 9. *Confide fili remittuntur tibi peccata tua* Eandem requirit Apostolus ad Hebræos 4. cum ait. *Accedamus ad eum cum fiducia ad thronum gratiæ eius.* Item. 1 Timot. 5 *Quæ vere vidua est, speret in Deo, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die.* Eidem promittit Deus impetrationem. Psal. 90. *Quoniam in me sperauit, liberabo eum, inuocabit me, & ego exaudiam eum.* Sed peccator voluntariè permanens in statu peccati, nõ potest habere fiduciam ad Deum dicente S. Ioan. 1. 3. *Charissimi, si*

ſimi, ſi cor noſtrum non reprehendit nos fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo facimus. Ergo contrarium erit verum peccatorem cor reprehendit, quippe vermis eorum non morietur, non igitur fiduciam poterit habere ad Deum, nec mandata eius cuſtodit, ideo nihil eorum obtinebit quæcunque petierit. Quarta ratio eſt hæc. Oratio debet eſſe humilis. Hinc etiam Dominus per Iſaiam cap. 66. ait. *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Et S. Daniel cap: 9. *Neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.* Et Eccl: cap: 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit. & non diſcedet donec altiſſimus aſpiciat.* & Iacob: cap. 4. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Et S. Abrah. Gen: 18. *Loquar ad Dominum cum ſim pulvis & cinis.* ſed peccator non eſt humilis, ergo eius non exaudietur oratio. Eccl. 10. *Initium omnis peccati ſuperbia eſt.* Etenim ô peruerſe peccator quomodo ſuperbus nō es, qui Deum non audis? qui eius aduerſaris mandatis? qui Domino tuo cum ſis ſeruus eius non obedis? *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper.* Quinta & vltima ratio talis eſt. Ad orationem vt exaudiatur requiritur deuotio, id eſt ſtudium, attentè, ſollicitè, diligenter, atque ardenter orandi. Reprehendit enim Dominus populum, qui ſolis labiis orat dicens. Iſa: 29. *Populus iſte labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Et maledictus pronunciatur, qui opus Dei facit negligenter. *Hier:* 48. Peccatores verò omnino non poſſunt habere deuotionem, quibus hæc ſeruiunt verba. Pſal: 6. *Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant.* Os orat, & cor peſſimas machinatur cogitationes: quomodo teſtor fidem veſtram in vno homine, pietas & impietas erit: charitas & iniquitas, bonitas & prauitas, deuotio & malicia. Mortuum

cadauer

De-
ta e-
con-
ver-
abe-
rum
ratio
. 66.
piri-
eque
ciem
ratio
simus
utem
cum
non
ia est.
, qui
omi-
n qui
. Ad
ium,
epre-
cens.
gè est
negli-
nt ha-
. Ore
r pes-
n ve-
x ini-
uum
lauer